

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 89. (Neovidensis 1807. Nro. 88.)

*Secretum litterarum Commercium  
Vivos inter et vita functos.*

Ad Caesareo Regium Rei Tormentaria Praefe.  
Cum Baronem a Terzy.

Ex mundo sublunari.

Elysium-Meum.-Die Martis 17. Nov. (Neovid. 27 Oct. 1837.)

**E**n quædam, quæ edotionis nomine veniunt! Anno superiore 1806 criticæ animadversiones in argumento consiliorum & eventorum novissimi Gallo Russo-Austriaci belli, cum primis vero expeditionis Austriacorum in Italia diversis Ephemeridibus vulgabantur, in his generatim Archi Duci vitio dabatur, quasi non satis alacriter operi manus admovisset, cum salus Austriæ sua in manu versabatur; juvat earum complexum in medium adducere.

„Nequaquam mihi consilium est: Animadversiones artis bellicæ gnari in argumento consiliorum & eventorum novissimi Galliam inter Austriam & Russiam belli, quas auctor in 5to Tomulo M. Maji Anni 1806. Archivi, novissimæ Historiæ Statuum editæ Criticæ in omnibus ferme argumentis commentitias

declarat, propugnandi; id solum mihi videtur: auctori satis esse debuisse; eas animadversiones arguere, quin publicam virtutem Belli ducis minuendi mentem habeat, qui profecto multo sublimior est quibusvis ejus con-  
vitiis.

Sane mira res; Dominum hunc auctorem animadversionibus; quæ nomen Archiducis nititur, indulgere, non modo falsis verum & quam maxime importunis; quippe non alius; quam de militari scripto super expeditione Anni 1805. sermo est, ut proinde res retroactorum temporum nullo modo eo pertineant; ut sit, dabo operam, ut D. Auctorem de meliore edoceam.

Ait is: Carolum omnes victorias de *Jourdaino* retulisse; nunquam vero de *Moreau* & *Benaparie* superiorem discessisse; Menti impervium est, ut vir, qui rei intelligentem se jactat, admonendus sit: magnitudinem bellicæ non in solis proeliis consistere, imo contra: summum perfectionis gradum in eo situm esse, si adversarius sola velitatione, & præliatione vincatur; hac ratione Carolus in expeditione Anno 1796 audaci molimine ampla & latè patentia consilia gallicorum Ducum evertit; relatisque de *Jourdaino* victoriis, *Moreaum* ad desistendum ab omnibus, quæ animo fovebat, consiliis atque receptum canendum adegit, neque, quidquid demum in obversum adferat D. auctor) unquam edocebit: copias Ducis *Moreau* 24 Oct. ad *Schliengam* clade non esse adfectas, constat: con-

silium D. *Moreau* non aliud fuisse, quam: quo ad fieri potuerit, dextram Rheni oram retinendi, vindicandique, & si cæsus non fuisset, (quod perperam nonnullæ Parisinæ paginæ asserunt) verum superior evassisset, profecto nunquam exacto (die 26. Oct.) proelio ad *Honningam* trans Rhenum se recepturus fuisset.

Quod ad proelia in quibus Carolus 1797 adversus Gen. Ducem *Bonaparte* pro ratione adjunctorum inferior discedere debuit, orbi notum est, quam miserabili in statu, & quam dispari cum adversario virium proportione eorum exercitum Italicum Archi Dux adiverit, & argumenti dignitati adversatur uberior ejus explicatio.

Interim ad expeditionem Anni 1805 delabimur; ut filum sermonis, quo D. Auctor utitur, retineamus, sciscitor ex eo: undenam sciat, Archi Ducem instructionem suam impedimento non fuisse? — equidem nequaquam, ut ille, videri volo, quasi ejus temporis rationibus & arcanis aulæ austriacæ initiatus essem, facta solum, quæ quivis nota, proferam.

Jam duobus prius mensibus operæ & munita ad *Caldiero* fervebant, quam bellum denunciatum fuisset, quique adparatus, qui præmittebantur, indicabant, in Italia (usque in Germania, in qua summa virium nostrarum sita fuit, & Russi expectabantur, quid diremum fuerit) modo solum defensivo agendi mentem fuisse; hoc quidem sat adversatur asserto Auctoris: Carolo secundum confectas belli rationes fulminis instar agendum fuisse.

Falsum porro, & commentitium est: Archi Ducem comperta copiarum in Germania clade, binis hebdomadis desidem ad Athesim hæsisse; dum Carolus nuncium hoc percepisset, *Massena* validissimo cum exercitu, omnique virium cum adparatu amnem trajecit, atque in procinctu erat nos adgrediendi, ut igitur (absque metu: ne hostiles non multo inferiores viribus copiae eum insequantur) provinciis Austriacis opem ferre valeat, prius *Massena* notabili cum jactura trans Athesim pellendus erat, eo solum consilio: ut A. Duci *Jocanni* mora procureretur, stationem attingendi, qua se cum eo unire debuit; Carolus ad Athesim aliquot dies exegit, interea adfuit *Massena*, & consilia hæc prævenit, castra munita ad Caldiero nostra adgressus, tri-duo pugnatum, die 30. Oct. *Massena* ipse copias suas subsidiarias incredibili cum alacritate versus medium nostrum eduxit, tertium proelium restauravit, ast totidem vicibus scloporum hastis per Austriacos Pyrobolarios rejectus est — frustra extremas vires intendebat, in lævo & dextro cornu - - ubi vis furentes Gallorum adgressiones moderata & pertinaci serenitate elidebantur, retundebanturque.

Ad Aedem *Coloniala alta* dictam, Galli pertinaci renisu in furorem acti vallum usque penetraverant, quod aggeri prope structo adjacebat verum & hic tumulum reppererunt.

Aggere Nr. 10 per assaultum jam potiti sunt --- at at aggeri adsitas copias alacritas animi mentisque vigor, qui toto expeditionis tempore Italicum exercitum commendabat,

non destituit. Agmen legionis *Hohenlohe Bartensteiniana* hostem ex occupatis jam munimentis scloporum verubus ejecit, exegit, exturbavit.

Postremum molimen, quod *Massena* ordinem nostrum perrumpendi causa die 31. in adsitam flumini lævam alam nostram intendebat, pari modo in irritum cecidit. In summa: *Massena* ad *Caldiero* per *Carolum* clade adfectus est; jacturam tulit 9000 virorum, atque hoc fatali casu compulsus nocte 31. Oct. in 1. Nov. *Athesim* trajecit, nequaquam vero (ut *D. Auctor* comminiscitur) quasi transitus ejus nuda militaris excursio fuisset, ut austriacum exercitum simulato proelio morari possit.

Et enim: si id consilium ipse non inivisset, tum omnia jam adparata erant, ad eum 1. Nov. per flumen depellendum, & tum primum *Carolus* celeri pede destinatum ad locum contendisset.

De acie *Caldiero*ensi id solum adnotandum habeo: primo vires Austriacorum nequaquam tantopere notabiles fuisse, quam ab auctore referantur; secundo: triduo pugnae unam tertiam copiarum ad pugnandum non adhibitam, contra nec bina Gallorum millia a pugna vacasse, & tamen triumphum retulere multis in locis inferiores viribus Austriaci ubivis - -

Ceterum *D. Auctor* admodum ferax est consiliorum, quid *A. Duci* *Carolo* faciendum fuisset, illius solum non meminit: ei jussa ab aula sua præsto esse potuisse, hac & non alia ratione, quam egit, agendi.

Neque disquirere placet, quatenus consilia D. Auctoris in effectum deduci potuissent, id solum mihi videri videor, consilium rationesque quas Carolus secutus, non prorsus respuestas fuisse; ipse D. Auctor largitur, Russis proelium declinandum fuisse, Carolus quoque sperabat, eos saltim non tam mature dirimens proelium inituros; si proin id factum fuisse praestruatur, Archi Dux cum victore exercitu inter ea aciem promovere potuit, & cui vis rerum intelligenti illucabit; inter facile contingentes eventus fuisse, nudis militaribus ductibus Napoleonem ad receptum adigere, & quidem ad receptum, qui ei perquam arduus & molestus fieri potuisset; his moliminibus Massena parum intercedere potuisset, quippe copiae ejus non modo ad Caldiero jam attenuatae fuere, verum ei notabile speculatorium agmen, relictorum Venetorum 17 millium, Austriacorum gratia, relinquendum fuisset, & Carolus, qui contra, per unicum cum exercitu A. Ducis Joannis notabile incrementum sortitus, ei non plus quam 25 millium agmen opponere debuisset; praeterea Massena octo militaribus itibus restabat.

Postremum id cum ratione asseverare audeo: & acie Austerlicenzi exacta, non omnem expeditionis ad felicem exitum perducendae spem concidisse, si non per inducias omnibus operationibus Carolo interdictum fuisset; profecto Carolus orbi palam fecisset: quid Austriacus exercitus tali sub Duce valeat; et si ii, qui induciarum consilium dedere de mente eruditi fuissent, qua eo temporis articulo exercitus pole-

lebat, atque edocti fuissent, fortassis in eas  
conficiendas minus propensi fuissent.

Clagenfurti die 1. Apr. 1807.

Baro V. - -

Centurio in Austr. stipendiis.

*G e r m a n i a.*

Ephemerides Hamburgenses de 23. h.  
m. continent multiplices relationes de 17.  
Hafnia; Dubio, ita inquiunt eæ, dubio in-  
quam vacat: copias Britannicas definito per  
Conventionem tempore Zelândia decessuras,  
hæc transactio 19. inita est. Jam plurimæ  
naves copiis repletæ, atque ad discedendum  
paratæ consistunt; plures paginæ publicæ  
contendunt: a Sveciæ rege vicena armato-  
rum millia petita, at dena solum ab Anglis  
promissa.

Publicis quibusdam paginis sequentia le-  
guntur: *Berolino de 17. h. m.* Rex & regina  
16 Memelia discessuri Berolinumque repe-  
tituri. — Ob instantem Majestatis partum iter  
breve instituetur, ut excelsi itinerantes 40  
etiam dies itineri impensuri, & vix ante finem  
Nov. Berolinum adpulsuri sint. Nuncium hoc.  
publicæ lætitiæ ampla materies, per litteras  
innotuit, quas nonnulli ex comitatu Suarum  
Majestatum Regiarum cognatis suis isthuc  
scripserunt

Afirmatur: Stralsundam sub protectione  
Galliarum, & Regis Vestphaliæ liberam han-  
seaticam urbem declarandam.

Neque disquirere placet, quatenus consilia D. Auctoris in effectum deduci potuissent, id solum mihi videri videor, consilium rationesque quas Carolus secutus, non prorsus respueudas fuisse; ipse D. Auctor largitur, Russis proelium declinandum fuisse, Carolus quoque sperabat, eos saltem non tam mature dirimens proelium inituros; si proin id factum fuisse praestruatur, Archi Dux cum victore exercitu interea aciem promovere potuit, & cui vis rerum intelligenti illucabit; inter facile contingentes eventus fuisse, nudis militaribus ductibus Napoleonem ad receptum adigere, & quidem ad receptum, qui ei perquam arduus & molestus fieri potuisset; his moliminibus Massena parum intercedere potuisset, quippe copiae ejus non modo ad Caldiero jam attenuatae fuere, verum ei notabile speculatorium agmen, relictorum Veneti 17 millium, Austriacorum gratia, relinquendum fuisset, & Carolus, qui contra, per unionum cum exercitu A. Ducis Joannis notabile incrementum sortitus, ei non plus quam 25 millium agmen opponere debuisset; praeterea Massena octo militaribus itibus restabat.

Postremum id cum ratione asseverare audeo: & acie Austerliczensi exacta, non omnem expeditionis ad felicem exitum perducendae spem concidisse, si non per inducias omnibus operationibus Carolo interdictum fuisset; profecto Carolus orbi palam fecisset: quid Austriacus exercitus tali sub Duce valeat; et si ii, qui induciarum consilium dedere de mente eruditi fuissent, qua eo temporis articulo exercitus pol-

lebat, atque edocti fuissent, fortassis in eas  
conficiendas minus propensi fuissent.

Clagenfurti die 1. Apr. 1807.

Baro V. - -

Centurio in Austr. stipendiis.

*G e r m a n i a.*

Ephemerides Hamburgenses de 23. h.  
m. continent multiplices relationes de 17.  
Hafnia; Dubio, ita inquiunt eæ, dubio in-  
quam vacat: copias Britannicas definito per  
Conventionem tempore Zelândia decessuras,  
hæc transactio 19. inita est. Jam plurimæ  
naves copiis repletæ, atque ad discedendum  
paratæ consistunt; plures paginæ publicæ  
contendunt: a Sveciæ rege vicena armato-  
rum millia petita, at dena solum ab Anglis  
promissâ.

Publicis quibusdam paginis sequentia le-  
guntur: *Berolino de 17. h. m.* Rex & regina  
16 Memelia discessuri Berolinumque repe-  
tituri. — Ob instantem Majestatis partum iter  
breve instituetur, ut excelsi itinerantes 40  
etiam dies itaeri impensuri, & vix ante finem  
Nov. Berolinum adpulsuri sint. Nuncium hoc.  
publicæ lætitiæ ampla materies; per litteras  
ignotuit, quas nonnulli ex comitatu Suarum  
Majestatum Regiarum cognatis suis isthuc  
scripserunt

Adfirmatur: Stralsundam sub protectione  
Galliarum, & Regis Vestphaliæ liberam han-  
seaticam urbem declarandam.

Parisiis die 23. Octob. Litteræ Chariburgò de 18. referunt: Americanam navem *Revanche* nuncupatam 12 bellicis munitam machinis, quæ duobus ante mensibus litteras legatis Americanæ reipublicæ Parisios & Londinum detulit, memorato die in meridie *Portsmouthum*, unde 16. solvit littore, adpulisse, fama fert litteras ab ea rursum legato Americano Parisios deferri. 15. tormentorum explosionibus salutem dicebat, quod humanitatis officium Præfectus oræ reddi jusserat. Secundum ea quæ Centurio referebat, tempore Tradationum inter M. Britanniam & bor. Americam induciæ inciderunt, quas quamquam inchoatum iri non penitus desperatum sis, spes nihilominus pertenuis, & admodum vacillans superest.

Secundum probatum ab Imperatore Senatus Consultum Communitatibus provinciarum in læva Rheni ora, tam parum quam aliis Imperii Communitatibus ab incolis, qui in iis domicilium defixerunt, omnium usu receptas, pro Jure Civitatis præstationes & reditus exigere integrum est, neque generatim discrimen inter incolas veteres & novos facere licet, quibus in singulis Communitatibus eadem ferendi onera obligatio est, proinde & beneficiorum æqualitate jugantur.

---